

Ευφημίαν ζερνικόν,

IN HONOREM
EXIMII ET POLITISSIMI

DNI. ANDREÆ
ZERNEKE,

Mercatoris & Civis inter Thorunienses
conspicui,

S P O N S I ,

&
PIÆ AC PUDICÆ VIRGINIS

A N N A E
C A T H A R I N A E ,

N O B I L I S S I M I , A M P L I S S I M I ,
E T S P E C T A B I L I S

DNI. JOHANNIS
N O G G I I ,

Reipubl. Thoruniensis Consulis

F I L I A E ,

S P O N S A E ,

Cùm Genialis Lectus An. 1706. d. 18. Maji sterneretur,

PROFESS. ET VISITATORIBUS GYMN.
scriptæ.

T H O R U N I I ,

Excudebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatus & Gymnasi
Typographus.



SPONSE, tuas tædas fas est celebrare decenter,
Et dare conjugio vota secunda pio.
Dignus es his meritis, tua laus perstabit in ævum,
Vistula dum liquidas exonerabit aquas.
Vidimus heu! studium pulchrum, pulchrosquè
labores,
Queis exornasti Gymnадis antra bonæ.
Otia spernebas, Musarum ferta legebas,
Quarum longa Tibi tela frequensquè fuit.
Post mercaturam tractabas promptus honestam,
Atque piæ vitæ semper amator eras.
Moribus ut pulchris tandem fulgentior essem,
Extera spectabas & peregrina loca.
21 In Patriam rediens studiisti Civibus esse
Vir bonus, & multis commoda ferre bona.
Cætera quid referam? sunt hæc infixa medullis
Nostris, atque probis non peritura manent.
Hinc Tibi præclaræ fert selectissima Virgo
Præmia Virtutis, præmia poscit amor.
Cui comes est pietas, fulgensquè modestia vultu,
Dedita tota DEO, dedita tota Tibi.
Ornat præstantem cuius prudentia mentem,
Castaque Virgineus purpurat ora pudor.
Nec sine dote venit, quamvis dotata sat hæc est,
Quæ decus illæsi casta pudoris habet.
Hanc sincerus amor jungit Tibi supplice gestu,
Obsequio facilem devovet atque tuo.

Sed

Sed quid ego multis saturas jam demoror aures?
Vendibili vino non opus est hedera.
Et licet exiles mihi sint in carmina vires,
Nec fluat ingenium divite fonte meum.
Sit mihi nec crater fulgenti splendidus auro,
Quo possim thalamum condecorare tuum.
Attamen exiguo nunc hos Tibi grator honores
Carmine, quæquè quoq[ue] pectore vota fero:
Det DEUS omnipotens novus hic torus ut sit in ævum
Felix, atque diu prospera cuncta vehat.
Tot dia bonitatis opes prensetis uterquè,
Vistula quot pisces, gramina campus habet.
Sit Tibi cum Sponsa Concordia, paxquè perennis,
Conjugium vestrum dirigat unus amor.
Ut Socer & Socrus capiant hic gaudia mille,
Crescat in immensum gloria summa DEI!

Script.

M. MARTINUS Böhml.

Proverb. XIX. 14.

A Jehova autem est uxor intelligens.

COnjugium felix est id, cuius DEUS autor,
Castus amor, pietas, vincula cuius erant.
Id miro divina modo benedictio ditat,
Et donat, quicquid pectora casta petunt.
Conjugio ex tali nascuntur pignora casta,
In queis perpetuò stemmata clara vigent:
Gloria Majorum celebris sine labe perennat,
Et justæ Patrum multiplicantur opes.
Contra Conjugium, quod præceps æstus amoris,
Quod vitum, nox, æs, arsqué maligna parat,
Infaustum est, crimen licet occultetur abusu
Divini cultûs, ritibus atque bonis.
Illiciti non diluitur sic crimen amoris,
Omni quod Sponsis absque dolore placet.

Tur.

Turpis amator utut dicatur cælica proles,
Donec amator erit turpis, adulter erit.
Sicque DEO adverso quod fœdus initur iniquè,
Per nullas epulas convaluisse potest:
Huic licet applausisse Deosque Deasque Poëta
Omnes affirmet carminis arte novâ.
Conjugium siquidem malè pactum causa malorum
Esse solet tot, quot mens meminisse valet.
Conjugium illicitum primum disperdidit orbem,
Ex quo nata fuit pessima progenies:
Quæ justum Numen temerè commovit, ut unda
Exitiali hominum perderet omne genus.
Dulce quidem primis censetur id esse diebus,
Ast his præteritis tempora amara fluunt.
Namque odium crudele parit præcox amor: inde
Rixæ proveniunt ac inimicitia.
Mox mala verba sonant, mox tetrica verbera pulsant:
Non prodesse placet, sed nocuisse placet.
Dum verò malè consulitur sic rebus honestis,
Immensæ rixis dilacerant opes.
Hinc post paupertatis onus, dispendium honoris,
Crux animi, luctus, morsque tremenda venit.
Horruit exemplis doctus ZERNEKIUS ista
Damna stupenda satis Conjugii illiciti.
Quapropter Sponsam sibi despondere pudicam
Sustinuit, clemens quam DEUS ipse dedit.
Æqualem dicit formâ, fortunâ, genteque Sponsam;
Felicis certum Conjugii omen id est.
Et DEUS ipse, duo qui pectora junxit amore
Casto, Conjugii commoda cuncta dabit,

Quæ ex animo apprecatur

M. MARTINUS BERTLEFFIUS.

